



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dips. XC. An saltem aliqui eximie à Deo dilecti, ad gloriam electi fuerint
ante præuisa merita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

gloriam, sequitur magis velle gloriam; sed vult gratiam voluntate efficaci, ergo prius etiam efficaciter vult gloriam. Respondeo primum, in Deo hoc argumentum vim nullam habere. Ipse enim non vult vnum propter aliud, sed vnum vult esse propter aliud, vt disp. 82. c. 2. explicatum est. Vnde non fit, vt desideret magis vitam æternam hominibus ante opera, quam ipsam gratiam, sed vt magis præcipuum, & primum esse velit gloriam, quam gratiam, & ita est: desiderat enim tanquam quid maius, homines esse beatos, & ipsa beatitudine iustos, quam eos in hac vita iuste viuere.

Ceterum quia inter homines contingit, vt ille, qui proponit alteri præmium consequendum per meritum, prius velit ipsum consequi præmiū, quam dare media, quibus id consequatur, & qui proponit finem in hoc casu, vere dicitur velle vnum propter aliud, & non tantum vnum velle esse propter aliud, idcirco pronuntio ex illo axioma non sequi, eum qui vult alteri finem, & propter illum vult media præbere, velle efficaciter finem, si vult efficaciter dare media: quia cum media ipse debeat dare, & suæ curæ relinquatur, debet illa velle efficaciter: sed cum finem ipse non debeat fieri consequi, sed alteri acquirendum proponat, non oportet vt velit efficaciter ante omnia illum donare. Satis ergo est, si intensius velit huiusmodi finem, quam media, vel tanquam quid præcipuum, & gratia sui: & ita etiam inter homines accidit, Deus autem non potest intensius illum desiderare ob rationem dictam: satis igitur est, vt tanquam præcipuum desideret: & hæc sufficiant circa primam rationem.

Ad secundam rationem cap. 3. ab aduersarijs adductam respondeo, discretionem prædestinationis à reprobis, etiam si non incipiat à voluntate dandi vitam æternam, incipere tamen ante consensum ipsorum absolute præmissum, & ita à solo Deo, non à se ipsis fuisse à massa perditionis discretos, nempe per gratiam præuenientem, quam sine illis Deus dare decreuit, & per singulas occasiones eorum voluntates vsque in finem vitæ præparare. Hec est illa gratia congruæ vocationis, de qua multum in disp. 88. cap. vlt. dictum est, quæ cum sit peculiaris in prædestinatis, eo quod detur in ea proportione, & mensura, qua certo nouit Deus effectum habituram, recte dicitur, per eam prædestinatos à reprobis discerni: & quia nobis sine nostro consensu datur, recte etiam dicitur, Deum non à nobis, sed nos à Deo gratis omnino eligi. Quomodo vero ratione scientia, qua Deus nouit effectum habituram, dicatur gratia peculiaris disp. 98. c. 6. explicabitur. Ad hanc ergo eliguntur homines ante merita, non tamen voluntate efficaci dandi eis vitam æternam. Idcirco Aug. de corrept. & gratia cap. 7. dixit, inter vocatos ideo quosdam esse electos, quia secundum propositum, hoc est, congruam vocatione fuerunt vocati.

Hæc igitur instantia & ordinem rationis in Dei prædestinatione nunc possumus assignare, vt Deus voluntate antecedenti omnibus æque voluerit vitam æternam, non in determinato gradu, sed quam quisque suis meritis impetraret. Deinde videns, quid vniuscuiusque arbitrium cum hac, vel illa vocatione, si daretur per singulas occasiones vsque ad mortem facturum esset, quibusdam voluit dare congruam, per certam periodum vitæ, qua in gratia decederet, alijs vero non. Demum finem

vniuscuiusque videns, habenti merita, & decedenti in gratia sua, decreuit efficaciter dare vitam æternam, alterum vero exclusit à regno. Quocirca electio ad gloriam, quæ non fit nisi præmissio examine vt cap. 1. ex Aug. probauimus, posterior omnino est in hoc ordine, prior autem electio ad gratiam, quæ merita quoque præcedit. Nec electio ad gloriam est simul cum meritis, vt putarunt Bartholomæus Camerarius & alij, sed ex meritis gratiæ tanquam ex causa.

Hunc ordinem non obscure indicauit Fulgentius Fulgen. lib. de incarnatione, & gratia Iesu Christi in epologo illius, Confirmatur his verbis: Deus enim, qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua, & donum illuminationis ad credendum, & donum perseverantia ad proficiendum, atque permanendum (ecce varia gratiæ auxilia per singulas occasiones) & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparauit. Vbi in ordine prædestinationis ipsam glorificationem ultimo loco constituit, sicut etiam in re ipsa est. Eodem autem ordine fuisse à Deo dispositam, scilicet ex meritis, sicut in tempore datur, sequentibus verbis explicat: Quique non aliter perficit in opere, quam in sua sempiterna, atque incommutabili habet voluntate dispositum. Ecce non assignat vnum ordinem in mente Dei, alium vero in executione ipsa, sed eundem esse dicit iuxta ea, quæ cap. 7. & 9. à nobis notata sunt.

DISPUTATIO XC.

An saltem aliqui eximie à Deo dilecti ad gloriam electi fuerint ante præuisa merita.

Opinio OKami, Gabriels, & Catherini. cap. 1.

Tam homines, quam Angelos omnes post merita gratia ad beatitudinem fuisse electos contra Catherinum asseritur. c. 2.

Cetera, quæ Catherinus in sua opinione docet, obiter impugnantur. cap. 3.

CAPVT I.

Opinio OKami, Gabriels, & Catherini.

SI recte expenderebantur, quæ disp. præcedenti dicta sunt, nulla nobis superesset difficultas. Rationes enim ibi allatæ non modo de quibusdam, verum etiam de omnibus prædestinatis vniuersum, idem probant. Sed quia nonnulli recentiores cum Catherino, de Angelis, imo de quibusdam hominibus eximie dilectis, peculiarem existimarunt esse rationem: ideo hæc disp. nonnulli contra eos disserere necessarium duxi.

Sunt ergo ex recentioribus Theologis nonnulli, qui putant fuisse tres ordines Angelorum in diuina prædestinatione, eodem pacto atque Catherinus eos inter homines constitui inter Scriptores tamen, quos ego hæcenus legi, nullus est, qui de Angelis peculiarem instituat disputationem, quod ipse etiam ad electionem vitæ æternæ, de qua nunc disputamus, De hominibus vero, & eorum prædestinatione loquens Catherinus li. 1. de prædest. Dei cap. vltimo & lib. 3. cap. 1. & 2. tres ordines hominum constituit, primum prædestinatorum, quos appellat eximie prædestinatos, & hos asserit à solo Deo ita absolute ad gloriam prædestinatos fuisse ante meritorum præuisionem, hoc est, ita Deum

Primus ordo prædestinatorum ex Catherino.

Deum ex se illis dare voluisse gloriam, nulla præuisa eorum in meritis perseverantia, ut non relinqueretur illis liberum, in meritis non perseverare. Sumit enim hic auctor, sicut alij, quos disp. præced. c. 8. recensimus, prædestinationem, pro voluntate solum dandi gloriam, non pro præparatione donorum gratiæ. De his vero inquit intelligendum esse illud ad Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit*, quasi ptius sit prædestinare, id est, velle dare gloriam decreto efficaci, quam velle vocare; & illud Psal. 34. *Nouit Dominus vias immaculatarum*, & Psal. 1. *Nouit Dominus vias iustorum*. Hos prædestinatos eximie existimat esse B. Virginem, Apostolos, & alios insignis sanctitatis homines, qui in hac vita ideo in gratia dicuntur fuisse confirmati, quod ab ea excidere non potuerint. Nam quod Deus voluntati puri hominis in hac vita imponere possit necessitatem, ut libera non relinquantur ad peccandum, tradit etiam *Marfilus* in 2. q. 16. art. 5. dub. 1. & *Gab. d. 25. q. 1. a. 3. dub. 1.* imo reipsum cum his eximie prædestinatis ita Deum fecisse, docent idem *Gab. & OKam*, ut statim referemus.

Alb. Rom. 8.

*Psal. 34.
Psal. 1.*

*Marfil.
Gabr.*

OKam.

*Secundus
ordo saluandorum.*

3

Reliquos homines inquit Catherinus relictos à Deo sub communi prouidentia, eos tamen adhuc in duo alia membra tribuit. Est ergo secundus ordo eorum, quos saluandos appellat, de quibus asserit electos non fuisse ad gloriam ante merita, nec prædestinatos, sed communi voluntate antecedenti illis gloriam à Deo fuisse propositam, & deinde auxilia gratiæ communia, sicut ijs, qui damnantur, prouisa, in qua auxiliorum distributione nulli existimant fuisse factam peculiarem gratiam, nec aliquem illorum peculiari gratia præuentum, sed ipsi communem gratiam reliquisse, ut pro suo arbitrio ea bene vterentur: tandem post præuisa merita Deum decreuisse eos saluare. De his non vult dicere ex meritis prædestinatos esse ad gloriam, licet dicat, Deum ab æterno statuisse ex meritis præuisis dare illis beatitudinem, quia prædestinatos solum appellat eximie destinatos ad gloriam, quod particula, *Præ*, in compositione illa prælationem & excellentiam significet, ut ex eius opinione notauit disp. 87. c. vi. vocat autem saluandos, quia meritis ex gratia Dei factis salutem æternæ beatitudinis consequuntur.

*Tertius ordo
reprobatorum.*

Six. Senen.

4

*OKam.
Gabr.*

Tertium denique ordinem dicit esse reprobatorum, aut damnandorum, quos asserit nunquam excludi à regno, & à Deo reprobari, nisi ex præuisione peccatorum usque ad mortem, & de vtriusque his duobus ordinibus docet, non fuisse certum eorum numerum ante perseverantiam in bono, aut in malo: quia liberum erat vtriusque saluari, aut damnari. At eximie prædestinatorum putat esse certum numerum ante merita, & perseverantiam ex sola prædestinatione. Hanc sententiam eodem modo ipse tradidit in illud ad Rom. 8. *Scimus quam diligenter Deum, quam testatur Sixtus Senen. li. 6. Biblioth. scilicet annotat. 24. 8. se multo tempore docuisse, & defendisse, postea vero omnino reliquisse, quod videret ab omnibus viris doctis improbari.* Ipsam prius docuerunt *OKam* in 1. d. 41. q. 1. & *Gab. q. 1. ar. 2.* nisi quod hi duo doctores non dubitant, ram eos, qui sunt in secundo ordine, quam in primo, prædestinatos vocare, quia particulam, *Præ*, non usurpant in ea significatione, sed in communi, ut antecessorem durationis significet, sicut in illa disp. 87. explicauimus. Dicunt tamen eos, qui sunt primi ordinis, ante omnia opera fuisse præde-

stinatos, secundi vero ordinis post merita gratiæ, in quo reipsum cum Catherino conveniunt.

CAPVT II.

Tam homines, quam Angelos omnes, post merita gratiæ ad beatitudinem electos fuisse, contra Catherinum asseritur.

Go vero communes esse censeo rationes, quibus præcedenti disp. capit. 10. & 11. in vniuersum probauimus, homines electos fuisse ad gloriam ex meritis gratiæ præuisis. Quare sine exceptione efficitur nullum fuisse ante omnia merita electum, imo nec posse aliter à Deo eligi, si vere in tempore merita digna præcedant, & gloria ex meritis in ipsa executione conferatur, & certe, si vt cap. 9. monstrauimus, optimus modus eligendi homines ad gloriam est ex meritis gratiæ, hoc sufficit, ut dicamus, omnes hoc modo fuisse electos etiam eximie prædestinatos. Ceterum, cum etiam ibi probatum sit, possibile Deo non esse, aliquem ante præuisionem meritorum ad gloriam eligere, nisi etiam in tempore, & executione gloriam ipsam gratis, & sine meritis tribuat; multo melius consequitur, omnes non solum homines, sed etiam Angelos adhuc eximie virtutis, & sanctitatis ex meritis gratiæ præuisis ad beatitudinem electos fuisse, quandoquidem illis Deus gloriam in tempore ex meritis tribuit. Ratione ergo illa à priori probatur optime, nullum fuisse eximie ante omnia merita præuisa ad gloriam electum, sed omnes æquè post merita.

Idem non obscure ostenditur ratione à posteriori, quam capit. 11. fecimus, quia electio illa in eximie prædestinatis derogaret virtuti meritorum, nec vlla ratione dicerentur ex meritis gloriam in tempore adipisci, quam rationem hic iterum repetere opus non est. Sed alia ratione à posteriori, quam adduximus 10. c. Ioannes à Bononia multum vrget Cather. 2. par. de prædestinatione, opinione 3. vbi ille testatur frequenter se cum Catherino de hac re conuenisse, nec vnquam in familiaribus etiam colloquiis opinioni illius acquiescisse. Impugnat ergo Catherini sententiam, quod frequenter ex illa, eximie prædestinatis talem imponi necessitatem perseverandi in gratia, & meritis, vt ab eis libere non possent excidere, sicut de omnibus cap. illo 10. probauimus.

Hoc autem argumento conuictus Catherinus plane fatebatur, eximie prædestinatis hanc impositionem necessitatem, nec liberos manere, vt in peccato mori possent, id quod ipse non censebat absurdum: Ioannes tamen à Bonon. iure optimo improbat: & impugnari potest, sicut in vniuersum cap. illo 10. confutauimus. Nam eximie prædestinatis non potest dici illud Apocal. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat, &c.* Si enim impossibile est, præmittere coronam, nullo modo posset eximie prædestinato dici, *Ne alius accipiat.* Tum etiam Paulus, qui in Catherini sententia erat eximie prædestinatus, frustra diceret 1. ad Corinth. 9. *Ne forte, cum alijs predicauerim, ipse reprobus efficiar.* Nam si erat impossibile Paulo reprobum effici, cur dixit, *ne forte*? nec enim particula rebus, quas euenire est impossibile, non potest accommodari: ac proinde de Christo, qui nullam ad peccandum libertatem habuit, dici non potuit, ne forte reprobus efficeretur, &c. Denique in nullum eximie prædestinatum conueniret illud, *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Ecclesiast. 31. quod soli Christo quadrare

quadrate non potuit; nam ex vnione ita necessitate antecedenti ad bonum determinatus fuit, vt nec libertatem habuerit ad peccandum; sicut in 3. part. suo loco dicemus.

Sed rogabit aliquis: quid ergo eximie prædestinatis, vel qui dicuntur in gratia confirmati, vt Beat. Virgini, & Apostolis concessum est, quod alij prædestinati non habuerunt? Nam omnes prædestinati tandem per aliquam vitæ periodum, gratia congrua vocati contemperantur vocationi, vt nunquam peccatum mortale committant; nec supposita scientia Dei, cum qua talis vocatio data illis est, peccare possint, quæ solum est impossibilitas consequens non peccandi, aut consequens necessitas perseverandi in gratia, cum qua bene stat, vt vocationi libere assentiantur, & ei resistere possint: sicut de omnibus in vniuersum tradit Conc. Trid. sess. 6. c. 5.

Respondeo, nullum prædestinatum necessitate habuisse antecedentem (hoc est, quæ in sua non fuerit potestate) in gratia perseverandi, sed totam necessitatem fuisse consequentem ex scientia Dei, cum qua plena manet libertas: vt cap. illo diximus. Solus Christus hanc habuit necessitatem antecedentem ex vnione, quæ in sua non fuit potestate, non quidem ad singula opera, sed ad perseverandum in gratia, & vt nullum præceptum transgrediretur. Ceteri autem etiam Beata Virgo talem necessitatem non contraxerunt, sed super alios prædestinatos hoc solum obtinuerunt, quod suæ perseverantiæ reuelationem habuerint, ex qua certissime credebant se nunquam gratiam amissuros, qua certitudine videbatur Paulus dicere ad Rom. 8. *Quis nos separabit a charitate Dei?* &c. Tamen si locum illum aliqui exponant, non de charitate nostra erga Deum, sed Dei erga nos; vt sit sensus: quænam tribulatio, aut res, quantumvis aduersa nobis videatur, poterit impedire, quo minus Deus diligat nos in Christo Iesu? nam etiam cum rebus aduersis nos probat & exercet, ex corde diligit. Sed & B. Virgo hoc etiam peculiare privilegium habuit, vt per singula opera ea gratia congrua præueniretur, qua nec venialiter peccaret: tamen si simpliciter suppositione non facta scientiæ Dei, libera ad peccandum manebat.

Adde fieri etiam a Deo non posse, vt alicui citra amentiam, vel inconsiderationem, & perturbationem tollatur libertas ad perseverandum in gratia, & ab ea excidendum ad peccandum, & non peccandum, ad consequendam gloriam per merita, & non consequendam, quæ in tempore ob merita danda est, si Deus velit cum eo pro voluntate illius, & inclinatione concurrere, sicut modo facit, nisi vno ex duobus modis: aut vnione hypostatica, quæ non est in potestate naturæ assumptæ, & ea posita nequit peccare: aut vi sione clara Dei, quam eadem necessitas antecedens consequitur. Nam si alio modo necessitatem imponeret, aut esset, quia præfinit dare vitam æternam ante præuisionem meritorum, & hoc modo imponeretur quidem necessitas antecedens, quæ tolleretur libertatem amittendi illam, vt c. illo 10. monstratum est: at vero tunc non solum gloria in tempore non daretur ex meritis, verum etiam sine illis nihilominus daretur: quod si hoc modo Deus eam vellet dare non subesset hominis potestati, eam consequi. Si autem in tempore futura sunt merita cum perseverantia vt datur gloria, non potest electio ad gloriam.

V. a. quæ in 1. part. Tomus I.

riam ab æterno fieri ante merita præuisionis, vt prædictum est. Aut denique Deus necessitatem imponeret per singula opera, vt Scotus existimat fieri posse in 4. dist. 49. q. 6. §. *Dico ergo*, vericulo ad propositum, præfinitis nostra opera ad vnâ partem, & determinans ante nostrum concursum, & consensum comitantem: sed neq; hoc modo posse impediri, aut tolli nostram libertatem, disp. 99. ca. 8. fusius probabitur.

Superest igitur, vt solum necessitas contralibertatem possit nobis imponi per subtractionem concursus, vt si præuentus homo mala, aut bona cogitatione, cum qua eius arbitrium in vnâ partem inclinaret, Deus nollet cum eo concurrere. Quod si hoc modo Deus cum eximie prædestinatis se haberet, vt inclinante cogitatione ad peccatum, nollet cum illis concurrere, certe illis libertatem ad peccandum auferret, aut impediret. At vero hic modus inutilis, & minus decens videtur: nam cum Deus id, quod desiderat, meliori modo possit præstare, congrua scilicet cogitatione, qua per singulas occasiones prædestinati derineantur cum effectu a malo, & tendant ad bonum; frustra hunc violentum modum eligeret. Quomodo autem ex illo ad Rom. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit*, non probet Catherinus, prius fuisse prædestinati, id est, eligi ad gloriam, quam decretum vocandi prædestinatos; sed ipsa prædestinatione id decreuerit, facile patebit disp. 91. cap. 18. vbi hunc locum ex professo explicabimus.

CAPVT III.

Cetera, quæ Catherinus in sua opinione docet, obiter impugnantur.

Ariter inuehuntur in Catherinum Dominicus Scotus in cap. 9. epist. ad Rom. in digressionem, de prædestinatione & Antonius de Corduba lib. 1. quæst. 56. & Barthol. Camerarius in dialogo Catholico cap. 10. qui opinionem illius temerariam, contra Scripturam, atque nota erroris dignam esse censent. Id tamen, quod de necessitate consequendi gloriam in eximie prædestinatis docuit, non impugnant, sed alia minoris momenti, & aliquid in eo sensu, quem ipse non intellexit. Quare breuiter quid in eius sententiâ falsum sit, dilucide explicare necesse est.

Primo in eo plane deceptus est, quod putauit in Aug. prædestinationem ad gloriam esse voluntatem dandi illam, non preparationem donorum gratiæ; & ideo iuxta doctrinam illius omnes, qui saluantur, esse prædestinatos, id est, electos ad gloriam, voluntate dandi illam, nullis præuisionibus eorum meritis, etiam ex gratia: in quem sensum Augusti plures alij intellexerunt, imo etiam Camerarius, qui Catherini opinioni in multis aduersatur, vt disput. præced. cap. 8. notauit. Ibi tamen perspicue ostendi in August. prædestinationem non esse voluntatem dandi vitam æternam, sed esse preparationem donorum gratiæ, quibus aliqui consequuntur vitam æternam.

Secundo contra Aug. parum modestè loquitur Catherinus, & in illius sententiam suo modo explicatam maledictis procaciter fertur, asserens, ideo ab omnibus reiiciendam, quod Episcopis Galliæ, & Massiliensibus, imo etiam multis per Africam summopere iam olim displicuisset teste Hilario Arelateni, & Prospero Regienfi in Epistolis ad Augustinum, quæ sunt ante librum de prædest. Sancti. At in hoc turpissime certe Catherinus

A a a therinus

10.

Scotus

Cordub.

Camerar.

Primo Ca-

therini la-

pus.

II.

Hilar. 11.

Prosper. Ca-

therini im-

modestia no-

tatur verius

Augustin.

Augustini
mcccccii

12.

Catherini
ordines male
à quibusdam
impugnatur.
Matth. 25.

*Tertio Repre-
henditur
quod salu-
dos non ap-
peller prae-
dicatores.*

Cons. Valen.

Augustin.
Folger.

therinus lapsus effugit quod non intelligens mentem Aug. ipsum impudenter impugnata, & reprobarum quod ipse Aug. contra Massilienses, & alios à Cælestino primo in Epist. prima ad Episcopos. Gallie honorifice defenditur. Confugerat enim ad ipsum Prosper Regien. vi. cap. i. Epistola testatur Cælestinum, eo quod defendens agriter sententiam Aug. perulantiam Massiliensium sustinere non posset: quem benigne excepit Cælestinus, & contra Massilienses defendit. De Augustino vero inter reliqua cap. 2. Epistola sic ait. Augustinum sanctæ recordationis virum: pro vitæ sua, atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc scissæ suspicionis altum rumor adpersit, quoniam tanta scissæ olim fuisse mensuram, vt inter magistros optimos etiam ante a meis decessoribus haberetur, bene ergo omnes de eo in communione senserunt, vt pote quibuscumque cunctis, & amoris fuerit, & honoris. Vnde resistatur talibus (plane intelligit Massilienses, & Gallos, qui eius sententiam aduersabantur) quos male crescere videmus. Quare lice de ea re, quam putauit Catherinus, de electione nimirum ad gloriam, fuisse inter Aug. & Massilienses, alioque dissensio, hoc Cælestini testimonium sufficeret, vt os ipsi Catherino obtineretur. Accedit, quod permulti alij viri, & Orientis, & Occidentis Augustino consenserunt, vt dispositione 91. cap. 11. videmus: idcirco linguam cohibere debuisset Catherinus. Porro Aug. mentem & controuersiam ipsius cum Galis, & Massiliensibus Catherinus non intellexisse, perspicue colligitur ex iis, quæ notauimus superiori disp. cap. & 5. & loco citato dicemus.

Tertio tres illos ordines hominum, quos Catherinus assignat, impugnant prædicti Doctores ex illo Matthæi 25. vbi duo tantum ordines constituntur, alter à dextris, alter à sinistris. Verum refutatio hæc frivola est: nam licet duo sint, alter eorum, quibus regnum celorum præparatum est, alter damnatorum, quod non negat Catherinus; quid obsecro adersfaretur, huic textui Matthæi, inter eos, qui gloriam consequuntur, quosdam eximie prædestinatos asserere eo modo, quo Catherinus putavit, si aliqui id veræ doctrinæ non repugnarent? Ceterum, quod ipse nolit omnes, qui gloriam consequuntur appellare prædestinatos, sed illos tantum eximie electos, reprehensione dignum est, cum hoc nomine *Prædestinatio*, & *prædestinati*, Patres, & Concilia vtiuntur, non solum vt denotent omnes, qui salvabuntur, & vitam æternam consequuntur, qui ad gloriam prædestinati eo ipso dicuntur; quod illis auxilia gratiæ efficacia ad vitam æternam consequendam ab æterno præparata sunt; vtrum etiam vt significant reprobos, qui ad pœnam, seu mortem secundam destinati dicuntur; vt notavimus disp. 87. cap. 4. Sic Concilium Valentinum sub Lothario Imperatore c. 3. inquit. *Fidenterque fateamur, prædestinationem, electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.* Vbi particula *Præ*, in compositione hominis *prædestinatio*, significat non excellentiam, sed antecessiorem temporis, vt idem omnino fit *prædestinatio*, atque *præfinitio*. Hoc etiam sensu vitur Aug. nomine *prædestinationis* 15. de ciuit. cap. 2. & alibi sæpenumero, & Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 14. & 30. Id circo Patres, vt eo loco notavi, cõmuniter vocant prædest. simpliciter, ut prædestin. ad vitam, seu ad regnum celorum omnes, quotquot saluatur, sed testimonia omnia PP. parui mo-

mentis sunt apud Catherin. qui pecularem modum loquendi in Scholas inuehere non dubitauit.

Postremo denique prædicti Doctores impugnant illi, quod vltimo loco dixit Catherinus: nempe numerum saluandorum, & reproborum non esse certum ante perseverantiam, quia fit in libertate potestate tam saluandorum, damnari: quam damnandorum saluari: post perseverantiam vero iam esse certum. Impugnant autem hac ratione, quia sequeretur ex eius sententia, Deum aliquid in tempore didicisse, eo quod illi duo ordines, incerti etiam apud Deum erant vsque ad perseverantiam, & ita poterant augeri, & minui, etiam in scientia Dei.

Verum hæc obiectio inutilis est, et inanis: neque prædicti Doctores id, quod Catherinus docuit, in sensu, quo ipse intellexit, impugnant: non enim dixit, in æterna scientia Dei incertū esse numerum saluandorum, et reproborum, vique ad tempus perseverantiae, vt in tempore viua perseverantia incipiat Dei scientia esse certa: quis enim quantumvis ignarus, et rudis hoc dicat? sed asseruit prædefinitorum, siue eximie electorum numerum, ^{Ensl} apud æternam scientiam Dei, in primo illo signo rationis; antequam videantur merita, iam esse certum. Quia cum fuerint electi ante merita, et electio Dei irrita esse nequeat nec in illorum potestate relinquatur posse damnari, iam in scientia Dei certus est numerus eorum: qui tamen in primo illo signo alios non elegit ad beatitudinem ante merita, et adhuc indifferētes reliquit, vt saluarentur vel non saluarentur; nondum est eorū numerus certus; etiā in scientia Dei. Sed neque; quis enī in secūdo signo, in quo distribuit auxilia gratis præueniēti, quia iuxta sententiā Catherini Deus non diuidit huiusmodi auxilia cū scientia cōditionali: putat enim illi nihil à Deo videri cōtō, et determinate, nisi futurum absolute, quod iam re ipsa præsens sit in æternitate, et secundum hanc sententiā, quam multi Thomistæ, qui Catherinum etiam impugnant, hodie sequuntur, numerum est nondum cognoscī certum numerum prædefinitorum in distributione auxiliorum gratiæ præueniēti, sed in sequenti signo, quo videtur consensus cum perseverantia. Hæc est sententiā Catherini iuxta mentem illius facere explicatā; quam non deberet Thomistæ, tam facile erroris insimulare, cum ipsi etiam idem cognatur concedant, nisi ante merita electionem ad gloriā concedant, quam Camerarius non vult asserere. Sed quamvis neque nos hanc electionē ad gloriā ante merita factā fuisse dicamus, et ita numerum electorum in voluntate illa antecedenti dādi gloriā certum non esse existimemus, quia tunc nullus præ alio electus est, nihilominus in distributione auxiliorum gratiæ, in qua faciām esse electionem, ex mente Aeg. probauimus superiorē disp. putamus esse certum numerum electorum, cum liberatē tamen, vt quique damnari possint, quemadmodum disp. 10. r. ostendimus. Similiter concedimus, peculiarem gratiam præuenientem donatā, fuisse prædefinitis, quod reprobis data non fuit, vt iterum disp. 9. vii. dicimus: oppositum quæ vera doctrina Aeg. alienum esse. Quare sententiā Catherini, hæc ex parte, quam hoc modo plures Theologi etiam nostri tempore sequuntur, relictū li possit, vt ibidem videbitur. Hic tamen dicta satisficiant.

quæ reducitur ad dispositionem materiæ. Sicut si dicamus, quod Deus præordinauit se daturum alicui gloriam ex meritis, & quod præordinauit se daturum alicui gratiam, ut mereretur gloriam. Alio modo potest considerari præd. effectus in communi. Et sic impossibile est, quod totus præd. effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra. Quia quicquid est in homine ordinans ipsum in salutem, comprehendit totum sub effectu prædestinationis, etiam ipsi præparatio ad gratiam. Neque enim hoc fit, nisi per auxilium diuinum, secundum illud Thren. vii. Conuertere nos Domine ad te, & conuertemur. Habet tamen hoc modo prædestinatio ex parte effectus pro ratione diuinam voluntatem, ad quam totus effectus prædestinat. ordinatur ut in finem, & ex qua procedit sicut ex princip. primo mouere.

In cor. arti.

Ad primum ergo dicendum, quod usus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis, ut dictum est.

In cor. arti.

Ad secundum dicendum, quod prædestinatio habet rationem ex parte effectus in communi ipsam diuinam bonitatem. In particulari autem vnus effectus est ratio alterius, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod ex ipsa bonitate diuina ratio sumi potest prædestinationis aliquorum & reprobationis aliorum. Sic n. Deus dicitur omnia propter suam bonitatem fecisse, ut in reb. diuina bonitas repræsentetur. Necesse est autem quod diuina bonitas (quæ in se est vna & simplex) multiformiter repræsentetur in reb. propter hoc, quod res creatæ ad simplicitatem diuinam attingere non possunt. Et inde est, quod ad completionem vniuersi requiruntur diuersi gradus rerum, quarum quædam altum, & quædam infimum locum teneant in vniuerso. Et ut multiformitas graduum conseruetur in reb. Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediuntur, ut supra dictum est. Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum vniuersitatem. Voluit igitur Deus in hominibus quantum ad aliquos quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem, per modum misericordiæ parcendo: & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum iustitiæ puniendo. Et hæc est ratio, quare Deus quosdam eligit, & quosdam reprobat. Et hanc causam assignat Apost. ad Rom. 9. dicens. Volens Deus ostendere iram, id est, vindictam iustitiæ, & notam facere potentiam, suam sustinuit, id est, permisit in multa patientia vasa ire apta in interitum, ut ostend-

deret diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Et 2. Tim. 2. dicit. In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia. Et quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam. Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem, nisi diuinam voluntatem. Vnde Aug. dicit super Ioan. nem, Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, si non vis errare. Sicut etiam in rebus naturalibus potest assignari ratio, cum prima materia tota sit in se vniformis, quare vna pars eius est sub forma ignis, & alia sub forma terræ à Deo in principio condita: ut sic sit diuersitas specierum in rebus naturalibus. Sed quare hæc pars materiæ est sub ista forma, & illa sub alia, dependet ex simplici diuina voluntate: sicut ex simplici voluntate artificis dependet, quod ille lapis est in ista parte parietis, & ille in alia: quamuis ratio artis habeat quod aliqui sint in illa. Neque tamen propter hoc est iniquitas apud Deum, si inæqualia non inæqualibus præparat. Hoc n. esset contra iustitiæ rationem, si prædestinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratia. In his enim, quæ ex gratia dantur, potest aliquis pro libito suo dare, cui vult, plus: vel minus, dummodo nulli subtrahat debitum, absque præiudicio iustitiæ. Et hoc est quod dicit paterfamilias Matth. 20. cap. Tolle quod tuum est, & vade: an non licet mihi, quod volo, facere.

Explicatio Articuli.

Conclusio est. Totius effectus prædestinationis nulla omnino est causa ex parte nostra. Data opera dixit S. Thom. Ex parte nostra, ut excluderet merita, & quamlibet occasionem solum ex parte eius, qui prædestinatur, ne in eodē, qui prædestinatur, causa aliqua debeat. cur potius ipse, quam alius prædestinetur. Merita enim vnus esse causam prædestinationis alterius, dubium non est, ut disputat. 94. videbimus; vbi etiam dicendum est, an merita vnus sint effectus prædestinationis alterius. Alia vero, quæ hic S. Thom. docet & tota doctrina art. examinanda nobis sunt disp. seq.

DISPUTATIO XCI.

An diuinæ prædestinationis ex parte prædestinatorum sit aliqua causa.

Explicatur status controuersie. cap. 1.

Varij errores hereticorum. c. 2.

Quosdam ex meritis gratiæ condignis prædestinatos fuisse docuerunt O Kam & Gabriel, alij vero Doctores ad gloriam omnes sic prædestinatos arbitrantur. c. 3.

Prædestinationis dari causam finalem ex parte prædestinati sed non meritoriam, aut disponentem putauit Durandus. c. 4.

Prædestinationis dari meritum congruum ex auxilio gratiæ senserunt Bonauentura, & Lambertus. c. 5.

22. a. 2.

Aug. l. 1. ad

Simpl. q. 2.

Et de præd.

c. 2. c. 3. &

l. 6. hypog.

c. præd. sum.

c. 1. 12 c. 1. 2.

cap. 8.